

P R O L O G U S.

nixam scientiam habere, docereque gloriatur ac polliceatur; si non omnia, quam plurima tamen profitentur, atque suis sequacibus obtrudunt dogmata, quæ firmo stabilique Veritatis fundamento superimposita vel non sunt, vel, si fortè sint, ejusmodi esse, demonstrare ac certò ostendere minimè valeant.

De Theologis id verum esse, (ut de Philosophis taceam, cum ii ad instituti nostri rationem non tam pertineant) patebit cuilibet, qui nobiscum eorum demonstrandi Methodum ac rationem penitiùs inspicere volet. Cùm enim inter illos aliqua de dogmate Fidei ac Morum stabiliendò incidit controversia, è vestigiò, ut talis professionis homines condecet, ad S. Literas, infallibile Dei Verbum, tanquam sacram anchoram, se conferunt atque confugiunt, ex eòque loca quàm plurima suæ sententiæ astruendæ accersunt, atque accumulunt, eaque quod contendunt denotare, ostendere fatagunt; at ferè semper ratiunculis interpretatiunculisque adedò levibus, ut illas mox facillimò negotiò adversarius refellere queat, allata loca vel suæ opinioni firmandæ aptandò, vel in alium sensum detorquendò, cujus impetum atque vires rursus alius, iisdem instructus armis eadem facilitate postea eludit atque avertit: adedò ut omnes pugnent, nullus expugnet, ac de Hoste victoriam reportet.

Cùm itaque tam miserè cum disciplinarum principe Theologiâ comparatum esse, ejusque Doctores, cultores, ac studiosos in tantas angustias redactos, tantisque incertitudinum dubiorumque fluctibus me, atque ipsos immerfos animadvertirem, animò evolvere cœpi, annon horum malorum fons posset detegi, ex iisque emergendi affulgeret spes, ac evadendi uspiam occurreret via. In his igitur indagandis dum omnem cogitationem figo, incidit illicò felicissima illa præstantissimaque Methodus, quâ nobilissimus ac incomparabilis Vir Renatus Des-Cartes,

Primus inaccessum, qui per tot secula Verum
Eruit è tetrìs longæ caliginis umbris,

Philo-